

Johann Bacmeister

**Rector Universitatis Rostochiensis Joannes Bacmeisterus, Med. D. & Professor Publico hoc Programmate Cives Academicos Ad Paschale Sacrum Gloriosaeq[ue] Victoriae & Resurrectionis Christi, Slvatoris nostri Memoriam devote celebrandam Serio Monet & Invitat**

Rostochii: Kilius, 1656

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn734940610>

Druck Freier  Zugang



*RU. Progr. 1656*

*Johannes Daemister*

*Progr. paschale*



RECTOR

Universitatis Rostochiensis

JOANNES BACMEISTERUS,

Med. D. & Professor Publico hoc

PROGRAMMATE

CIVES ACADEMICOS

AD

PASCHALE  
SACRUM

Gloriosæq; Victoriæ & Resurre-

ctionis CHRISTI, SALVA-

TORIS nostri Memoriam devotè  
celebrandam.

Seriò Monet & Invitat.



ROSTOCHII,

Typis Hæredum NICOLAI KILII. Acad. Typ.

Anno 1656.

R. u. Progr. 1656



Victores apud Romanos si ob res præclare gestas, triumphum agere cuperent, ipsis prius id facere, quam de eo deliberasset Senatus, ac concessisset triumphum non licebat. Illud decretum erat, quasi approbatio quædam rerum tanquam salutarium & utilium ab ipso Victore gestarum & constituebatur triumphum exhibendi certum tempus, quo esset inchoandus, & quam diu durare deberet. Huic concedebatur unus dies, alteri biduum vel triduum, prout gloriosius pugnassent, siquidem Æmilius Paulus de Rege Persæ & Q. Flaminius de Macedonia triduo triumpharunt, Julius Cæsar quater eodem mense, & divus Augustus tres egit triumphos continuo triduo. Triumphatio hæc erat. Victor sellæ eburnæ in curru triumphali aureo, quo per mediam urbem ad Capitolium magnum Jovis templum vel à quatuor candidis equis ut Camillus, vel ab Elephantibus ut Pompejus Magnus triumpho Africano, & divus Cæsar Gallico, vel à Leonibus ut Marcus Antonius: vel à Cervis ut Marcus Aurelianus, vel deniq; ab Equis hermaphroditis ut Nero, vehebatur, insidebat, præcedentibus ante currum præcipuis Capitaneis & militibus, quorum opera bellum erat confectum, qui spolia, res pretiosas, arma & alia de bellatis ac despoliatis hostibus erepta, item picturas insignium oppidorum devictorum cum inscriptione, picturas navales & terrestres pugnas exprimentes, ferebant. Hos sequebantur hostes capti & vincti, lugubri amictu induti, ipsi Capitanei & Duces præcipui qui se Romano populo opposuerant. Proxime post currum triumphalem promiscua militum & Romani populi multitudo incedebat, quæ cum præcedentibus Ducibus, Capitaneis & Militibus carmen triumphale in Victoris laudem & honorem læta & clara voce cantabat. Victori jam Urbem ingredienti totus primò Senatus, deinde Cives suo quisq; ordine & loco, tum Virgines Vestales, Sacerdotes & Flamines obviam

obviam procedebant, donec tandem in Capitolium, ubi multæ grandiores victimæ insigniter ornatae mactabantur, deductus & delectus, pro gratiarum actione thesauros & alia *καμήλια*, quæ hostibus eripuerat, in ærarium publicum & eorum partem militibus, quorum Virtute, ope, societate & auxilio tales res gesserat, distribuebat, partem civibus donabat ac largiebatur, quemadmodum id Tit. Liv. Dio Cass. Blondus Flav. Alexander ab Alexandro & alii Historici quamplurimi, satis superq; testantur. Verum, nullam aliam ob causam hosce Victores Pompæ Romæ triumphali exceptos esse, quam, quod regna debellarint, pacificos turbarint, Urbes desolarint, thesauros exhauerint, plurimum sanguinis in noxii effuderint, innumeras fecerint Viduas, & multos viros nobiles Vitâ orbarint, certum est. Rectè itaq; Aurelianus Imperator in Epist. ad Cornelium amicum, *Ita me Dii ament, inquit ut ipso die triumphî mei, cum ex Curru triumphali captivos intuerer catenis onustos & pecunias contemplerer, quas vehebamus prædatitias, multorum innoxiorum, spolia: cumq; Viduas audirem infelices maritorum obitum deplorantes, & tot nobilium civium, qui in Asia ceciderant, recordarer etsi lætitiâ palam præ me ferrem, clam tam en guttas flens sanguineas profudi.* & paulo post, *Haud scio quid de illo statuendum sit Principe, qui ex bello reversus, ut triumphantî sibi urbem ingredi liceat, petit aut flagitat. Si enim, quod rationi consentaneum est, vulnera cogitat quæ corpore excepit, si pecunias, quas expendit, si oppida, quæ exussit: si pericula, quæ exhausit, si damna, quæ fecit, si homines plurimos, quos nullâ de causâ occidit, si amicos, quos amisit; si inimicos, quos paravit; si quietem, quâ usus est exiguam; si quantum & quam multis debeat; hæc, inquam, si cogitet, cum gemitibus illum excipiendum dixerim & inter largissimos lacrymarum imbres invehi oportere. Quamvis autem veterem triumphandi morem nostrum non sit improbare, cum præmia talia ad virtutem animent, & amorem in animis civium excitent, verumtamen animæ solatium haud præbent aut conciliant, Valeant itaq; Romulides cum hac suâ pompâ, suisq; triumphatoribus erigant*

--- -- monumentum ære perennius  
 Regaliq; situ pyramidum altius,  
 Quod non imber edax, non Aquilo impotens  
 possit diruere.

Multo

Multo nobiliorem hodiernus dies nobis ob oculos ponit  
 triumphum, quem non Martis vel Bellonæ, sed J E H O V Æ  
 omnipotentis filius, salvator, redemptor & justificator no-  
 ster agit. Hic est Verus ille Simson, qui ambas inferorum  
 portas postibus evulsis, repagulis & obicibus fractis, remo-  
 vit ex duro inferni carcere, superatis omnibus Furiis infer-  
 nalibus, liberam egressum ad veram libertatem nobis aperuit.  
 Hic est verus ille David, qui potentia sua divina gloriosum,  
 jactabundum & minacem Goliathan toti humano generi ho-  
 stem infensissimum devicit, prostravit, & populo suo glorio-  
 sam & æternam victoriam peperit. Hic *Ἀπειδυοσάμενος τὰς*  
*ἀρχὰς καὶ τὰς ἐξουσίας ἐδειγμάτισεν ἐν πάρησις Δραμβεύσις αὐτὸς ἐν*  
*αὐτῷ* h. e. exutos despoliatus principatus ac potestates osten-  
 tavit palam, triumphans de illis per semet ipsum. Hic verus  
 est ille Jonas, qui ad compescendas procellas, sedandam,  
 inquam, patris iram in mare projectus, à Balæna absorptus,  
 incolomis in portum delatus, ex voraginibus & vorticibus  
 quasi Mortis prodiit, hodie revivixit & tripudians resurre-  
 xit. Ecce, inquit, fui mortuus, & sum vivens in secula secu-  
 lorum, & habeo claves mortis & inferni. Non hic Leones  
 cum Antonio, nec Elephantes cum Pompejo ad insolentem  
 pompæ & triumpho splendorem introducit sed Draconem an-  
 tiquum, serpentem tortuosum, Leonem rugientem, contri-  
 to ejus capite & exutis spoliis in triumpho ostendit. Ubi jam  
 Cæsar, Ubi Fabius, Ubi Domitius, Ubi Lepidus Ubi Marius  
 Ubi Vestidius, Ubi Camillus, Ubi Claudius Nero, Ubi Mar-  
 cus Portius Cato. Ubi L. Quintius, Ubi Scipio Nasica, Ubi M.  
 Fulvius, Ubi Manlinus, Ubi deniq; Aurelianus & Vespasia-  
 nus, reliquiq; Duces strenui, qui prioribus illis seculis magni-  
 tudine sua caliginem aliis inducere visi sunt: Illi quotquot fue-  
 runt, jam dudum rigidas fatorum leges experti diem obierê,  
 nil nisi triste cadaver humanum post tam excelsam amplitu-  
 dinem relinquentes, Et nunc quotquot testante Lyrico,

Vixere

Vixere fortes ante Agamemnona

Omnes illachrymabiles

Urgentur ignoti longa Nocte

Noster autē triumphator CHRISTUS hodie ex antro sepulchri, ut vera & redi viva Phœnicis caro surrexit, quā decoxerat Cinamonium pietatis, granum frumenti, quod solum in terra mortificatum est in Passione, multum fructum attulit in resurrectione. Solum enim mortuus est sed solum minime resurrexit, quin omnibus nobis peccato mortuis ad verā vitā resurgendi causam præbuit. Ita enim Apostolus ad Roman. *An ignoratis nos quotquot baptizati sumus in Christum, in mortem ejus esse baptizatos; sepulti igitur sumus una cum eo per baptismum in mortem, ut sicut Christus excitatus est ex mortuis per gloriam Patris, ita & nos in nova Vitā ambulemus. & vers. 8. Quod si mortui sumus cum Christo, credimus, fore, ut etiam cum eo vivamus, ut qui sciamus Christum excitatum ex mortuis, non amplius mori, mortem, inquam, ei non amplius dominari. Nam, quod mortuus est, peccato mortuus est semel: quod autem vivit, DEO vivit. Ita etiam vos colligite, vos ipsos tum mortuos esse peccato, tum vero vivere DEO per Christum Jesum Dominum nostrum. Quod cap. 8 adhuc clarius exprimit, quando, Si autem, inquit, spiritus ejus qui excitavit JESUM ex mortuis habitat in vos, is, qui excitavit Christum ex mortuis, vivificabit etiam mortalia corpora vestra, per inhabitantem ipsius spiritum in vobis. Detestandus itaq; est errore eorum, qui teste Augustino, resurrectionem carnis fore negabant, pro quā corporum μεταμύχων substituebant, per quam humanæ animæ in alia corpora migrarent. eorum nempe quos quisq; in hac vita amassent vel etiam occidissent: ut qui Muscam vel Murem occidisset, in eam mutaretur: atq;, ut ulterius delirare pergebant, contrariam sortem illi sortiretur homo, quam hic quisq; nostrum habuisset: dives nimirum in pauperem, pauper in divitem renasceret sicut etiam Epiphanius hanc ridiculam opinionem notavit. Hinc superstitionis ejus affectæ imitantes Pythagoreorum nugas & Encratistorum furores & hæresin, esum carniū vitarunt, lactis item ac ovorum, nefas arbitrati, ex ullo animantis genere, quicquam degustare, ne, ut false Tertul. ait, bubulam de ali-*



quo proavo quisquam obsonaret. Quid autem obsecro veris christianis hac opinione absurdius, aut quid illis reliquum solatii esset, si spes alterius Vitæ felicissimæ post tot ærumnas illis auferretur. Refutarunt illam suo tempore Athenagoras, Theophilus, Tacianus, Ireneus, Tertullianus. refutant illam ipsamet Apostolorum sancta & infallibili manu consignata monumenta. Hæc profecto mortuos revicturos clamant. Hæc mortalitati nostrorum corporum immortalitatem pollicentur. Hæc spondent nos resurrecturos, quomodo Christus ille ex mortuis primogenitus surrexit. Hæc corpora redi viva tradunt fore similia illustrato corpori Salvatoris, quod in monte Tabor lucem quidem cœpit fundere, carnis tamen naturam non exiit. Nos ergo qui Christi sacris initiati sumus dubitare non debemus in statum pristinum mortuos excitari, talesq; legitimâ die ante conspectum DEI ex illo naturæ secreto produci, quales fuerint pro sua quisq; qualitate suscepti, Apostolo dicente: ad Corinth. 5. *Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut recipiat unusquisq; corporis sui merita secundum ea, quæ gessit sive bona sive mala.* Quemadmodum enim Luna, quæ verè rationis humanæ omnia in se lineamenta depinguit nata sangvineæ teneritudinis, dubio cornu primo quasi decunis apparet! paulatimq; crescendo jam puella, jam virgo pro quotidianæ ætatis incremento progrediens, lascivi cursus ambagibus carpit pensa mundana. At ubi matura aureo igne flagrantis lucisflui aurigæ par laboribus fratris angustis circulis argenteum compleverit globum, paulatim devertit in senium, donec ultimâ senectute consumpta suâ morte reviviscens, menstrualis ignis solenni germine accenso sumat, rursus de fine principium, uti hæc eleganter Zeno in sermone de resurrectione mortuorum expressit. Quem imitatus Prudentius in hæc prorumpit verba.

*Nosco meum in Christo Corpus consurgere: quid me  
Desperare jubes? Veniam quibus ille revenit*


Calcata

*Calcata de morte Viis, quod credimus hoc est.  
Et totus veniam: Nec enim minor aut alius quam  
Nunc sum restituat Vultus, Vigor & color idem  
Qui modo vivit erit, nec me vel dente vel ungue  
Fraudatum revomet patefacti fossa sepulchri.  
Qui jubet ut redeam non reddet debile quicquam.  
Nam si debilitas redit, instauratio non est.  
Quod casus rapuit, quod morbus, quod dolor hausit.  
Quod truncavit edax senium populante veterno,  
Omne revertenti reparata in membra redibit.*

Si itaq; Mardocheus Ammanæ judæorum hoste confuso & ad patibulum acto, si Judas Maccabæus Nicanore fuso & devicto, ejusq; capite & dextera in triumphum ducta, festa solemnia in liberationis obtentæ memoriam instituerunt, quanto magis nos Christianos diem hunc sacrum agere, beneficiorum resurrectione Christi nobis tributorum recordari, & pro tanto & inenarrabili beneficio gratias ore & corde agere & habere decet. Hoc namq; Christianorum festum, teste Augustino, est regnum cœli, salus mundi, vita credentium, occasus inferni, vita supernorum, resurrectio Vivorum, pretium redemptionis humanæ, cognitio mortis abolitæ; Cui & illud Ambrosii Encomion consonat. Dies Paschatos anni Veri & æterni principium est, primi mensis veræ vitæ tribuentis exordium, novella germinum, primi veris vera jucunditas. Unde etiam hujus diei tanta in Ecclesia ab ejus usq; primordiis festivitas & sanctitas, fuit, ut etiam nox ejus pervigilio coleretur referente Eusebio, & Greg. Nazian, qui scribit, noctem Paschalem vigiliis transactam, & luminum splendore illustratam; quiq; Vigiliis ejus neglexerant, censuram rigidam Ecclesiasticam imo & publicam poenitentiam sustinere sunt coacti: quam poenam nec ipse imperator Philippus Arabs, teste Ruffino, effugere potuit. Et Procopius refert, totam diem Paschatos Christianos jejniis & precibus suo tempore in multam usq; noctem transegisse. Nec non Athanasius in Epistola ad Dracontium, in Africanis Ecclesiis

His hoc ritu suo tempore celebratum esse Pascha indicat, ut  
primo Conciones de resurrectione Domini ad coetus collectos  
habitae sint, postea vero ad epulas populus confederit, inspi-  
ciente & praecipiente & Episcopo, ut religiose & rite epularen-  
tur. Cum igitur hoc festum toti Orbi ab omni aeo venera-  
bile fuerit, in ejusq; celebratione & cultu vera nostra salus po-  
sita sit, utiq; demus operam (necesse est, ut simus nova Con-  
spersio in Christo, epulemur non in fermento malitiae & ne-  
quitiae, sed in azymis sinceritatis & veritatis, ita ut ambule-  
mus digni vocatione nostrae crucem quotidie tollentes, per  
lactucas sylvestres & amaras significatam, & in novitate ac san-  
ctitate vitae stemus ac cincti itinere, instar viri Israelitae, cogi-  
tantes, nos in mundo hoc peregrinos vivere, indeq; tandem in  
veram patriam commigrandum nobis esse. Vobis autem, qui-  
cunq; jurisdictioni nostrae subiecti estis, Studiosi juvenes,  
DEUS Domini nostri JESU CHRISTI pater gloriae  
det spiritum sapientiae & revelationis in agnitione ejus, illumi-  
natis oculis mentis vestrae, ut sciatis, quae sit spes illa Vocati-  
onis ejus, & quae opes gloriae haereditatis ipsius in sanctis, &  
quae sit supereminens magnitudo Virtutis ejus in nos, qui cre-  
dimus secundum operationem potentiae virtutis ejusquam  
operatus est in Christo suscitans illum a Mortuis, & constitu-  
ens ad dextram suam in caelestibus supra omnem principatum  
& potestatem & virtutem & dominationem & omne nomen  
quod nominatur non solum in seculo hoc sed etiam in fu-  
turo. P. P. Rostochi Sub Sigillo Rectoratus Ipsa

Paschatos Dominica ANNO.  
M. DC. LVI.



GK





*Calcata de morte Viis, quod credimus hoc  
Et totus veniam: Nec enim minor aut alius  
Nunc sum restituar Vultus, Vigor & color id  
Qui modo vivit erit, nec me vel dente vel un  
Fraudatum revomet patefacti fossa sepulchr  
Qui jubet ut redeam non reddet debile qui  
Nam si debilitas redit, instauratio non est.  
Quod casus rapuit, quod morbus, quod dolo  
Quod truncavit edax senium populante ve  
Omne revertenti reparata in membra red*

Si itaq; Mardocheus Ammane judæ or  
patibulum acto, si Judas Maccabæus Nic  
ejusq; capite & dextera in triumphum d  
liberationis obtentæ memoriam institui  
nos Christianos diem hunc sacrum age  
rectione Christi nobis tributorum reco  
enarrabili beneficio gratias ore & cord  
Hoc namq; Christianorum festum, testi  
coeli, salus mundi, vita credentium, o  
pernorum, resurrectio Vivorum, pretiu  
næ, cognitio mortis abolitæ; Cui &  
mion consonat. Dies Paschatos anni V  
est, primi mensis veræ vitæ tribuentis  
minum. primi veris vera jucunditas.  
tanta in Ecclesia ab ejus usq; primord  
fuit, ut etiam nox ejus pervigilio colet  
& Greg. Nazian, qui scribit, noctem P  
actam, & luminum splendore illustra  
neglexerant, censuram rigidam Eec  
cam poenitentiam sustinere sunt coacti  
imperator Philippus Arabs, teste Ruff  
Procopius refert. totam diem Paschat  
precibus suo tempore in multam usq;  
non Athanasius in Epistola ad Dracor

nfuso & ad  
& devicto,  
olemnia in  
tanto magis  
orum resur-  
tanto & in-  
bere decet.  
est regnum  
ni, vita su-  
onis huma-  
rosii Enco-  
principium  
novella ger-  
n hujus diei  
& sanctitas,  
nte Eusebio,  
vigiliis trans-  
Vigilias ejus  
imo & publi-  
nam nec ipse  
potuit. Et  
os jejuniis &  
nsegisse. Nec  
ricanis Eccle-  
sis

